

Scriptum injuriosum, & libellus famosus. *g.* Differre tanquam genus & speciem. Nam omnis libellus famosus est scriptura injuriosa, sed non e contra. Hujusmodi enim, ut jam supra dixi, est injuriosum scriptum, & non libellus famosus, quando nomen subscriptum est. Deinde, etiam si nomen non sit subscriptum, non erit tamen libellus famosus, si non imputetur alicui aliquod delictum ab eo commissum, sed obijciatur aliquis defectus naturalis, v. g. vocando spiritum, caecum, claudum, delirum, stuporem, asinum &c. quae non sunt crimina.

195. *Queritur IV.* An actio famosi libelli solum duret per annum, sicut actio injuriarum verbalium. Negat Zasus, & Gail lib. 2. obs. 104. Magis mihi placet affirmativa sententia, quam aliis relatis tenet Fachineus lib. 9. c. 9. Ratio est, quia injuria scripta est virtualiter verbalis.

Obijciunt. Scriptura est perpetua & semper manet, & consequenter est realis, adeoque etiam actio erit perpetua. Negatur antecedens, nam hujusmodi scripturas jubet lex corrumpi & comburi. Sed de hoc memini me jam supra monuisse. Constitutiones Principum jubentes, ut hujusmodi actiones sint perpetuae, esse laudabiles, etiam consentiente Fachineo, quia nimia hominum proclivitas ad injuriandum, meretur, & requirit, ut hujusmodi severitate coerceretur, & frano cohibeatur.

196. *Queritur V.* An pictura infamans, hoc est ad infamandum aliquem facta, libelli famosi nomine veniat. *g.* Affirmative, & colligitur ex l. 1. §. pen. ff. h. r. ibi. *Aliudve quid sine scriptura in notam aliquorum produxerit.* Et habetur etiam in Receptis Imp. Aug. 1530. & 1548. & aliis apud Harpprecht. n. 152. ubi etiam idem dicitur de sculptis aut fusorio opere in alienis infamiam confecto, aut in publicum prolato. Quod tamen, juxta paulo ante dicta intelligendum est, si per talem picturam aut statuum exprimat aliquod delictum, nec enim sufficeret si aliquod vitium corporis, aut alicujus nationis exprimeretur.

197. *Queritur VI.* An delictum famosi libelli sit Publicum, an Privatum. *g.* Cum Harpprecht n. 211. esse privatum. Ratio est, tum quia ut superius diximus, illa sola sunt Delicta publica, quae in Jure expresse Publicis annumerantur. Atqui hoc delictum potius privatis annumeratur, tum in §. 1. J. de Injuriis, tum in Digestis, ubi titulus est: *de Injuriis & famosis libellis.* Tum denique in Codice titulus de famosis libellis statim subjungitur titulo de Injuriis. Verum tamen est, quod reus possit a quovis de populo accusari. Haec tamen non esse regulam publicorum Judiciorum, supra ostendi per alias instantias, quibus & haec accedit.

Fornicatio, seu Scortatio & Concubinatus.

SVMMARIVM.

Quomodo hoc loco Fornicatio sumatur.

Quo jure sit prohibita simplex fornicatio. 199. *An Clericus fornicarius sit deponendus, vel solum suspendendus ab exercitio.* 200.

Quam dicatur Concubinarius. 201.

Quenam condiciones requiratur. 202. *Et seqq.*

Quibus penis afficiatur. 203. *Et seqq. ubi referuntur Decreta Triad. Concilii.*

198. **F**ornicationis nomen aliquando sumitur generaliter pro omni damnato coitu. damnato, inquam, non solum jure civili (quod jure strictius sumitur, ut dixi agens de Illegitimis) sed saltem jure canonico. Cujus species nimis inordinate & diffusè refert Julius Clarus, melius Farinacius q. 137. n. 3. Fornicationem simplicem, Concubinatum, Stuprum, Adulterium, Sodomiam, Incestum, Sacrilegium, & Raptum. Verum hoc loco strictius sumitur.

Fornicationis nomen censetur derivatum à fornicibus in quibus se prostituunt meretrices, hoc est, locis obscuris, & inde dicebantur fornicari.

Fornicatio ergo simplex est concubitus soluti cili soluta, & ut distinguatur à Stupro, debet femina non fuisse virgo, ut habetur sub canone 2. ca. 35. q. 1. ibi. *specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.* Item ut alias species, ut incestum & sacrilegium, excludat, debet abesse vinculum consanguinitatis, affinitatis, Ordinis, Voti.

199. *Queritur I.* Quo jure sit prohibita simplex Fornicatio. *g.* 1. Jure Civili communi nulla poena illi delicto constituta est, ut tradunt unanimi consensu Interpretes. Jure Bavarico est constituta poena arbitraria. *L. R. Tit. 9. ar. 19.* qui sic habet. [Quamvis sepe contingat, ut personae solute suarumque peltantia & libidine, absque vi vel subdola seductione fornicentur, nolumus tamen hujusmodi libidinem, praesertim quod ruri inter rusticam plebem valde invalecat, impunitam relinquere, sed Magistratibus jubemus, ut exemplariter puniantur: & quamvis Injuriis adus sepe hanc praecedente promissione matrimonii, nihilominus non debet poena manere impunitus.]

g. II. Jure Canonico Fornicatio quidem sepius

sepius tanquam illicita prohibetur, sed circa laicos non reperitur poena aliqua constituta, quamvis cum Claro dicendum sit, esse poenam arbitriariam.

200. Quoad Clericos in Sacris constitutos, & qui hoc ipso habent annexum votum Castitatis, quamvis non pauci Canonistae doceant, talem ob fornicationem esse deponendum, hoc tamen nullo Jure probant. Nam quod adducunt cap. 9. de atate & qual. & ord. presb. solum dicit, eum qui non vixerit castè, non esse promovendum ad Episcopatum. Quare communissima est sententia, fornicarium Clericum solum suspendi ab exercitio Ordinum, nisi esset enormis fornicatio, ut limitat Julius Clarus, vel si esset incorrigibilis, ut alii limitant, quibus tamen videtur adversari cap. 6. de cohabit. Cler. & Mulier. [Si autem Clerici tuae Jurisdictionis (sive in Sacris ordinibus sive in inferioribus constituti) fornicarias detinent: nisi eas ad secundam vel tertiam admonitionem à se dimiserint, easdem de cetero contempturi, liceat tibi eos Ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postposita, spoliate, officio illis nihilominus interdicto.] Ex quo textu colligit Abbas, quod incorrigibilis possit solum beneficio privati. Verum, in his attendenda sunt specialia Decreta diocesana, quia ex Jure communi vix aliquid certi haberi potest, quandoquidem Canonistae adeo diversimode statuunt, quisque pro suo Zelo vel arbitrio, potius assignantes, quid statuendum esset, quam quid statutum sit, ut videre licet apud Farinacium, qui nec ipse aliquid certi concludit, sed contentus est varias opiniones Auditorum retulisse. Fagnanus etiam dicit in cap. non debet de consang. & affin. olim quidem ob simplicem fornicationem de rigore depositum fuisse non tantum Clericum, sed etiam Episcopum, sed hodie ob simplicem fornicationem non fieri depositionem (ob capit. citatum & relatum) nisi sit notoria vel scandalosa, aut diu continuata: pro quo citat cap. 9. de Excessibus Praelat. Sed in hoc capitulo non dicitur esse deponendus, sed suspendendus ibi. *praedicti clericus ab officio & beneficio suspendere non possint.* Et haec de Simplici fornicatione.

201. Quod ad Concubinatum attinet, strictè concubinarius dicitur illi, qui solutam retinet, & cum ea habent consuetudinem carnalem, eodem affectu ac modo, ac si sua esset uxor. Ita Farinac. q. 138. n. 2. ubi examinat plurima requisita ad Concubinatum strictè dictum, ad hunc effectum, ut illi inde nari dicantur naturales, & per subsequens matrimonium legitimentur, suoque patri in certis unicis à Jure statutis succedere possint, & talis concubina de Jure civili impune retineri possit. Verum, videmus, an ea condiciones rectè requirantur.

202. Prima conditio. Ut simul cohabitent diutine, & sint commensales. arg. l. 144. ibi. *quae cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat: quam nunc vero nomine amicam, paulò honestiore concubinam appellari.*

Secunda. Ut simul carnaliter commisceantur ex consuetudine: nam unus vel alter concubitus non argueret concubinam.

Tertia. De Jure civili requiritur, ut eam in domo retineat, ad hoc ut per subsequens matrimonium filii legitimentur: hoc tamen Jure Canonico non requiritur. Unde Clericus dicitur Concubinarius, quando in aliena domo feminam habet, cui solet commisceri, & in vicinia sit diffamatus, quod est conforme Concilio Tridentino sess. 25. c. 14. de reform. ibi. [Prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin penis à SS. Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur.] Hinc etiam Jure Canonico legitimentur filii ex muliere extra domum retenta, ut alibi dictum, & huc non pertinet.

203. Quarta. Ut inter tales possit esse matrimonium, alioquin vel erit adulterium, vel incestus, vel sacrilegium, vel ex alio impedimento dirimente ad aliud genus delicti spectabit. Sed si haec conditio requireretur, Clerici non possent habere concubinas, quando sunt in Sacris constituti, quod est falsum.

Quinta, ut non sit virgo. Verum, nec haec Conditio utiliter ponitur. Nam prima dehortatio utique non est concubinatus, sed stuprum, deinde per consuetudinem cum ceteris requisitis evadit concubina.

204. Sexta, ut mulier teneatur loco uxoris, animo illam ducendi, si inde prolem habeat, & sic in concubinatu debet esse studium querendae posteritatis, non autem adimplendae libidinis. Sed haec conditio nullum locum habet in Clerico, nec Jure Canonico requiritur.

Septima, ut diligatur à viro & honoretur sicut uxor, nec ab uxore aliter differat, quam in dignitate. Verum, hoc est confundere concubinam cum vera uxore, quae potest esse (ubi valent matrimonii clandestina) etiam non ducatur cum solennitate. Similiter impertinentes sunt reliquae condiciones à Farinacio posita, ut, quod sit unica, & indubitatus affectus, ut sit publice agnita à propinquis & vicinis, ut gerat habitum concubinae, ut vir sit persona nobilis, aut magnus, mulier inferioris conditionis. Haec inquam hodie non attenduntur.

205. Restat videndum, qualiter in Clericis & in laicis concubinatus puniatur. Et quidem

dem in Conc. Trid. loco citato quoad Clericos sic subjungitur. Quod si Superioribus moniti, ab his se non abstinerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum ipsa facta sint privati, quae fabrica Ecclesiae, aut alteri pio loco acerbio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem, cum eadem vel alia famina perseverantes, secunda monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam ut sedis Apostolice delegatus arbitrabitur, suspendantur, & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum ipsis etiam versentur, tunc beneficijs, portionibus ac officijs & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficijs ac officijs impoſentur reddantur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum Superioribus cum ipsis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosus mulieres sibi adungere auri fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur. Nec quavis appellatio aut exemptio praedictam executionem impediatur aut suspendatur, & praedictorumque omnium cognitio non ad Archiepiscopos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertinet, qui sine strepitu & figura iudicij, & sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia Ecclesiastica aut pensiones non habentes, juxta delicti & contumaciae perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsve modis, juxta sacros Canones puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinerint, & à Synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi, & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpa etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat. Ita Tridentinum.

206. Circa hoc decretum advertunt Declarationes, quod poena tibi relata, verbo: *quod si à superioribus*: non habeat locum in Clericis, si primo deliquerint, etiam si dicta generalia Ordinarii praecesserint, sed incurrantur, ubi Clericus secundo deliquit. Pro primo puniri debet alijs poenis à Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impoſitis. (Hujusmodi est in c. 2. de cohab. cleric. suspensio à divinis, & interdictum) & demum si monitus fuerit, & quidem speciali monitione, secundo delinquat, privatus tertia parte fructuum,

non tamen distributionibus quotidianis, quas ratione Canonatus vel dignitatis, divinis interessendo percipit, praeter fructus praebendae distinctae. Eadem poena censetur repetita in ver. *Si vero in delicto eodem &c.* Sin autem secunda monitioni non paruerit, suspendendus est ab administratione beneficiorum, & cum non possit interesse choro, amittit etiam distributiones quotidianas. Si Clerici sunt Notorii concubinatii, etiam hodie ipso jure sunt à divinis suspensi, sicut antiquo jure. Et haec quidem statuta sunt contra Concubinarios Clericos.

207. De Concubinarijs Laicis idem Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 8. de reſor. matr. sic statuit. Grave peccatum homines solutos concubinas habere. Gravissimum vero, & in hujusmodi Sacramenti singulare contemptum admittam, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoris ab eis & retinere. Quare ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remedijs provideat, statuit, hujusmodi concubinarios, tam solutos quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis, & conditionis exsistant, si, postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, & quae ab eorum conscientia non se junxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni facta paruerint. Quod si in concubinato per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres sive conjugatae sive solutae, quae cum adulteris seu concubinarijs publice vivunt, si ter admonitae non paruerint, ab ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpa puniantur, & extra oppidum vel diocesam, si id eisdem ordinarijs videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio saeculari, ejiciantur: alijs poenis contra adulteros & concubinarios inflatis, in suo robore permanentibus. Ubi Declarationes advertunt, per hoc Decretum non tolli alias poenas à Jure communi vel Statutis Synodalibus contra concubinarios inflatas, neque alium modum procedendi contra illos. Si tamen Ordinarius vellet illos excommunicare, forma hic praescripta observanda esset. Ibidem laudatur Archiepiscopus Mediolanensis, quod adulterum condemnaverit ad Sententiam 50. omnibus praevij monitionibus, & ita censuravit S. Congregatio 3. Nov. 1585. Deinde, per eandem declarationem, non tolluntur in hoc Decreto Privilegia Religionum, habilitandi illegitimos ad dignitates.



Fur-

Furtum.

SUMMARIVM.

Plures *Q. Q.* alibi tractatae indicantur. 208.
 Quenam in ordinatione Criminali Carolina sint circa fures constituta. 210.
 Quid nomine Florenti intelligatur in Carolina, taxante s. fl. pro suspensio. 211.
 An sicut opulencia furtum passi mitigat, ita indigentia exasperet poenam. 212.
 An pluralitas furorum requirat diversam tempus & locum. 213.
 An punitur jam sufficienter ob priora furtiva, addito deinde alio, puniendus sit ob furtiva multiplicata. 214.
 Quid si priora furtiva fuissent commissa in loco, ubi Carolina non observatur. 215.
 Quid si priora furtiva non essent juridice, sed tantum philosophice & theologicè furtiva. 216.
 Si plures simul furati sint, quomodo puniendi. 217. & seq.
 Quid si res inter eos divisa non adequat respectu singulorum summam suspensio dignetur. 219.
 A quonam judicandum, an summa ascendant ad poenam ordinariam. 220.
 Qualis effraçtio requiratur ad suspensio poenam, summa inferiore. 221.
 Quid si effraçtio non fuerit seditiosa, sed manibus facta. 222.
 In dubio relinquatur arbitrio Iudicis. 223.
 Varia corollaria circa effraçtionem non seditiosam. 224.
 Quomodo puniendus fur, quando res absque domini damno & furis lucra ad dominum redit. 226.
 Quid si res furtiva jam est vendita, & ab emptore ablata restituitur domino. 228.
 Quid si domino loco pecuniae ablata restituitur res per eam emptam. eod.
 Quid si cum furto sint conjuncta effraçtio, sed nullum damnum secutum. 229.
 Quid si fur ante comprehensionem satisfecit domino. 230.
 Quid si ob impotentiam solam partem restituit. 231.
 Sati factioe data quomodo fur puniendus. 232.
 Fure suspensio, an heres possit conveniri. Conditione furtiva. 233.
 Quomodo puniendi Impubes pubertati proximi. 234. & seq.
 An idem de Minorene dicendum. 236.
 Fundamentum affirmantium. 238.
 Fundamentum Negantium. 239.
 An conjunctio Maritalis aut sanguinis excuset à poena suspensio. 240.
 An idem de alijs domesticis dicendum. 241.

An Nobilitatis intritus in aliam poenam commutetur suspensio. 242.
 Quomodo femina loco suspensio puniende. eod.
 An aliquando mitigetur poena, ratione rerum furto sublatarum, ut arborum. 243.
 Quenam alia actiones praeter actionem furti competant Jure Civili. 244.
 Quae poena afficiantur qui opem vel consilium praestant. 244.
 Quae poena illi qui ante furtum opem praestant. 245. & seq.
 Exempla propinqua & sufficientis cooperationis. 247.
 Exempla remotae cooperationis. 248.
 Quomodo puniendus, qui in ipso actu opem dolosam confert. 249.
 Quomodo puniendus, qui post factum furtum opem praestant. 250.
 Exempla hujus cooperationis. 251.
 An excipiantur uxor & consanguinei. eod.
 Quomodo puniendus participando approbans furtum. 252.
 Quomodo Receptores furti & rerum furtivarum puniendi. 253.
 Quomodo puniendi, qui scienter & dolose res furtivas emunt. 254.
 An in Emptore presumatur scientia, an ignorantia. 255.
 Quid si Emptor rem alienavit, an teneatur ad estimationem. 256.
 Quomodo puniendum attentatum furtum. 257.
 An fur deprehensus in alio territorio possit ibi suspendi. 258.
 An rem furto ablatam liceat per publicos ministros perquirere in aliena domo. 259.
 An Magistratus possit res furtivas apud furem vel alium repperas sibi attribuere jure fisci. 260.
 An dominus restituta sibi re furtiva teneatur ad restitutionem expensarum in capturam &c. 261.
 Quid jure Bavarico. eod.

208. **D**E Furto egi tomo I. de Jure privatorum tract. 2. contr. 1. ubi ad longum declaravi definitionem Justinianeam furti, & ostendi, non ex quoquoque furto dari actionem furti, nec contra omnem eum furem esse, contra quem datur actio furti. Deinde expediivi varia quaestiones. 1. An quando Creditori Debitor furtat pignus, cadat pignus in causam furtivam. 2. Utrum, si fur, antequam à Judice condemnentur ad poenam dupli vel quadrupli, rem ablatam ultro restituat, liberetur à poena. 3. An in eo qui rem alienam furtipit, animus furtandi praesumatur. 4. An furtum committat, qui moroso debitori auferit, quantum sibi debetur. 5. An rem inventam detinens, si Dominum sciat,

O

vel